

493

491

497

487

482

442

392

Ende

Anfang

478

Aliquando solus nocte in illa ecclesia mansi et tantum cursum martricum in tecto audivi, quod territus fui putans esse delusionem aliquam, quoisque veritatem percepī. Non autem solum indulxit dominus rex Egypti Soldanus Catube reparationem illius ecclesiae, sed etiam in ruinis templi sancti sepulchri multa permisit contra legem sui Machometi reerigi. Reputo enim modernum Soldanum, quasi alterum Cyrum regem, qui, quamvis esset gentilis, concessit tamen Judaeis, ut in Jerusalem templum Domini, quod Nahuchodonosor destruxerat, reaedificarent, quod tamen erat contra ritum suorum idolorum. De hoc Cyro, rege Persarum, habetur Esdrae 1. et Esaiae 46. Nec hoc Cyrus rex ex se ipso fecisse dicitur, sed Deus spiritum ejus suscitavit, ut dicitur 2. Paralip. ultimo et Esdrae 1. Sic profecto ex spiritu Dei concessit Soldanus reaedificare loca sancta, et multo plus concederet, si non accusatores, Christianorum inimici, eum averterent; sicut etiam contigit Esdrae, ut habetur Esaiae V. et per totum librum Nehemiae et Esdrae. Nec putandum est, sicut multi aestimant, quod Soldanus principaliter moveatur amore pecuniae et lucri, quae a peregrinis recipit, ut ecclesiā Christianorum renovari permittat, sed Deo inspirante hoc facit principaliter, quamvis ipse inspirationem ignoret. Et nisi Deus id ageret, nequaquam Sarraceni ecclesiā stare permetterent, nec peregrinos per terram evagari sic sinerent, etiam data magnae pecuniae summa. Excedit enim odium, quod ad nos gerunt, multum amorem, quem habent ad pecuniam, quam a nobis exspectant, quae satis exilis est. Nec rex Soldanus recipit unum obolum de illa pecunia, sed aliqui officiales tantum, qui tamen de ea non possent ducere vitam voluptuosam. Et ideo Deo gratias agere debemus, ut cor regis Soldani ad nos convertat, et orare pro vita regis Soldani debemus, sicut legimus Judaeos orasse pro vita gentilium regum, Nabuchodonosor, Cyri, Artaxerxis, et Antiochi. Baruch 1. Effectus enim demonstrat, ipsum Soldanum esse fidei nostrae inclinatum; nec dubito, si quis maturus, eloquens, et auctoritativus Christianus ad eum orationem illam converteret, quacum alloquitur venerandus dominus Nicolaus de Cusa cred. lib. 3. c. 17. de cibratione Alcorani, utique in

